



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

SS. Theodora Et Didymys MM. 28. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

208 VITÆ SÆCTORVM. 28. April.

virginitatis florem , quem à teneris intactum in tumulum etiam salvum intulit , precibus & jejuniiis fovit, lacrymis rigavit , nec lecto , sed quæ floribus amica est , terrâ depositus , nec dubitavit quandoque procacem servuli petulantiam unguibus notare , itaque vel invitum verecundum facere. Nudis pedibus ad sacrata loca euntem multa miracula comitata. Quid? quod domum redemptis sub noctem comes è cælo delapsa MARIA ivit , & pontis urbisque portas reclusit. An dubitabimus ergo Cœli januam viventi Sitæ tam propitijs morienti patuisse? Ex Bzovio, 13. tom. Ann. Eccl.

Succincti lumbos mentis castam & sobriam vitam in Dei timore dicamus, nec concupiscentiis carnis mens principatus sui oblita consentiat. Brevia & caduca sunt terrenarum gaudia voluptatum quæ ad eternitatem vocatos à semitis vita conantur auertere. S. Leo ser. 2. de Ann. Aff. suæ.

SS. THEODORA ET DIDYMVS
MM. 28. Aprilis.

F Abulam damus, dum vivimus , alias alio pulchriorem: pulcherrimam DIDYMVS & THEODORA dederunt. Haec dum parvulum tyrannum Amorē fugit, in majorem alterum Maximinum Imp. incidit. Iubetur aut fidem , aut virginem ponere. Quid ageret? Martyr moreretur, non virgo? Virgo viveret, non Martyr: placuit virgini Martyrem sociare. Abripitur in cellam infamem: sed primus DIDYMVS irruit in militis personā vultum amantis præferens: instruitur elegantissima scena: mutantur vestes: sub milite evadit virgo: sub virginē miles deprehenditur. Sed nunquam magis illa virgo , quam cum sic miles ; nunquam magis iste

vir,

April.

28. April. VITÆ SÀNC TORVM. 209

vir, quam cum sic femina fuit. Dum enim hic ad supplicium dicitur, adest illa, & litem ecce de morte movet. Vadem ait se pudoris, non mortis legisse; hanc vel fugâ meruisse; esse certè in virgine ferro locum, si injuria non fuerit; sed nec animos deesse, quos cum armis sumpsisset; demum si THEODORA addicta sit morti, THEODORAM se esse; si DIDYMVS, etiam hunc induisse. Contrà querebatur ille ingratam benefactori præmium invidere; armas exuisse, non militem, stolidam induisse, non feminam; turpe fore viro tergum vertere, si sic mulier pugnaret; illi plus lactis, sibi plus sanguinis naturam dedisse; se denique (sive DIDYMVS jam esset, sive THEODORA) se ad mortem damnatum clamabat. Quid multis? duo pugnarunt, & cernentibus causam lictoribus, ambo vicerunt. Ex D. Ambr. l. 2. de Virg.

Virginitas fastigium est omniumque consummatio virtutum; ad quam si quis eniti potuerit, hunc servum Dominus, hunc discipulum Magister agnoscat, hic terram triumphabit, hic erit consimilis Deo, quia virtutem Dei cepit. Lactant. l. 6. de vero cultu.

S. PAPHNVTIVS M. 28. Aprilis

PAPHNVTIVS Eremita, detectis à tutelari genio gentilium insidiis, facto divino sacrificio, ultro in jus atque judicis conspectum ambulavit. Quem Sanguinarius canistam fœdâ verberum lanianâ concerpit, ut patefactis lateribus exta in terram effunderentur, quæ sacer custos suis denuò receptaculis abdidit, vulnerumque hiatus obsepsit. Cum in vinculis mirâ luce micaret, XL. senatores veritatis claritate præstricti, unum ac verum Numen sunt professi, eamque ob causam flam-